



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. II. Adeat autem hunc thronum magnâ cum fiduciâ: gratiam enim  
offensus Deus poenitenti vltro offert, eamque se daturum jurejurando  
pollicetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

*Et miseri-  
cordiam  
supplex pe-  
cat.*

Hoc si ita est, quid ultra dubitandum est? Adeamus ergo, ex Apostoli consilio, cum fiducia thronum gratiæ, qui iudicantis & offensi Dei tribunal merito exhorrescimus. A Deo si fugimus, confugiamus ad Deum: & ab offenso Numine ad misericordiarum Patrem prouocemus. Eamus, inquam, cum fiducia, sed vt reos decet, & sententiã Conscientiæ in primo tribunali condemnatos. Pœnitentis habitum, & compositionem, de gratiã consequendã non desperantis rei, præscribit Dauid. *Venite, inquit, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascue eius, & oves manûs eius.* Non itaque desperemus: peccauimus fateor; Deus est quem offendimus: sed ipse est Dominus, qui est Deus noster; qui nec perdere vult figmentum quod creauit; nec perire quemquam de populo, quem redemit Sanguis Dei.

5.

Psal. 94.  
v. 6. 7.

## §. II.

*Adeat autem peccator thronum gratiæ magnã cum fiducia; gratiam enim offensus Deus pœnitenti vltro offert, eamque se daturum iurejurando pollicetur.*

*Deus pro-  
nior est ad  
gratiam  
sceleribus  
faciendam  
quã ad  
eam acci-  
piendam  
peccator.*

**A**Uget profectò deprecandi fiduciam, quòd non tantum, *Ad- uocatum habeamus apud Patrem Iesum Christum iustum*, qui causam nostram agat, & teste Apostolo, *etiam interpellat pro nobis*; sed quòd Patris ipsius, quantumcumque offensi, tam pium benignumque sit ingenium, vt peccatoris misericordiã moueatur, quasi si infelicitatis tantæ eius quidquam interesset, hominisque, scelerum rei, miseriis indoleret. Hoc est, quod D. Augustinus, ad tantam gratiæ criminum consequendæ fiduciam, mortales excitat. *Nemo, inquit, de Dei pietate diffidat: quoniam maior est eius misericordia quã nostra miseria; & quisquis ad eam toto corde clamauevit, exaudiet illum, quoniam misericors est.* Audi nunc quæ subjicit, digna magno Augustino, non nisi magna de immenso Deo deprædicante. *Tardius siquidem, inquit, ei videtur peccatori*

6.

Ad Rom.  
8. v. 34.D. Aug. l.  
de Spir. &  
litt.

peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absoluerere reum à tormento Conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciet, passio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. O verè Patrem misericordiarum, fontem gratiæ! quam dum peccatoris peruersitas præpedit, ipse tuus tibi genius exprimit, & natura commendat. Quis vultum tam benigni Patris exhorrescat, nisi cui adhuc collibitum est tam bonum Patrem aspernari?

7. Libet tamen (& verò quid dici potest in hoc rerum statu jucundius?) libet inquam, tam pium Dei ad misericordiam peccatori præstandam proni genium, non ex alterius hominis humanæ forti fortè abblandientis, sed ex ipsius Dei id de se testantis, & jurejurando confirmantis ore intelligere. Adeste ergo quotquot estis orbe toto peccatores; non tantum quos vnicum crimen grauat, sed & quos vetera tenent scelera, inueteratumque Dei odium & despectus immanis, in omnem abripuere intolerantiam. Vos, inquam, quos longa per totam antea vitam contracta mala, in vltimam salutis consequendæ desperationem adegere. Vos denique, qui sub peccatorum fordibus computruistis hætenus, & cauteriatæ Conscientiæ vlceribus contabescitis: aures erigite, audire non me, sed Ezechieli Prophetæ mandata consolationis plenissima, quæ ad Israëliticum populum deferat, dantem Deum. Immarcescebat sceleribus suis Israël; tantâque sibi videbatur implexus perfidiæ suæ immanitate, vt de veniâ sibi à Deo impetrandâ spem omnem deponeret, neque quidquam nisi perniciem vltimam expectaret. Indoluit profectò populi miseriis, ejusque indolentiæ quasi ingemuit pius Deus. Malo itaque, ne serpat longiùs, medicinam facturus, animosque abjectos erecturus, Ezechielem cum his mandatis ablegat. Tu ergo fili

*Pollicetur  
Deus gratiam  
penitenti, &  
promissionè  
iuramento  
confirmat.*

Ezech. 33.  
v. 10.

*hominis dic ad domum Israel. Sic locuti estis dicentes; iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo viuere poterimus? Hæc quidem vos, pro ingenio vestro languidè & abjectè. Audiant nunc me, pro meo genio lo-*

v. 11.

*quentem Deum. Dic ad eos. Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis; & quare moriemini Dominus Israel? .... Impietas impij non nocebit ei, in quâcumque die conuersus fuerit ab iniquitate suâ .... Si dixero impio, morte morieris, & egerit penitentiam à peccato suo .... vitâ viuet & non*

v. 12.

*morietur.*

v. 14.

*morietur. Omnia peccata eius que peccauit, non imputabuntur ei; v. 16. iudicium & iustitiam fecit, vitam uiuet.* Enimuerò quid ad consolandum peccatorem suauius, quid ad blanditias ei faciendas non ab offenso, sed vel ab amico Numine dici potest tenerius & amabilius? quid peccus etiam saxo durius magis emolliat, quàm voces tam amœnæ? Eruderanda profectò est penitus hæc deliciarum vena: non enim fortasse, præ mœrore, percipis peccator quò hæc vergant.

*Viueret se  
dicit Deus  
dum pecca-  
toru misere-  
retur.*

*Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Et quidem communis ea est Interpretum expositio, asseuerantis Dei voces esse has, quinimo iurejurando confirmantis, se quoad in se est, vindictam ab inimico homine non expetere, ac proinde nolle mortem impij, quantumuis eam iure optimo mereatur. Hinc istud, *Viuo ego dicit Dominus*, hunc sensum habet. Tam verum est me nolle mortem impij, quàm verum est me Deum viuere, qui vitæ omnis fons sum & origo. Equidem de veritate sententiæ nullus dubitat. Tam enim certum est Deum peccatoris misereri, quàm Deum viuere; quandoquidem non aliàs sibi adeò videatur viuere, & Diuinæ vitæ exercere munia, quàm dum misericordiam peccatori impendit. Adeò familiaris ipsi & congenita est pietas. Sic, quem studiis, quem venationi, quem armis impensè deditum nouimus, in studiis viuere, in sectandis feris, in armis tractandis eius vitam consistere non immeritò dicimus, idcirco quòd in isthæc exercitia, bona pars vitæ ab horum studio impendatur; & verò impendatur alacriter, vt quæ eius genio maximè sint accommodata. Non alio profectò modo, dum non vult mortem impij, viuere se dicit Deus, vt cui nihil est iucundius, nihil eius ingenio accommodatius, quàm peccatoris misereri: hoc ei quasi ingenitum exercitium. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Quasi si dicat, manifestè ostendo viuere me, quia nolo mortem impij. Hanc dum nolo, tum demum viuere me existimo; hanc dum nolo, tum demum Dominus, tum demum Deus sum. An quidquam proferri potest peccatori delectabilius?

8.

*Premissa  
sua Deus  
iureiuran-  
to confir-  
mas, quia*

Jam verò, quàm istud admirationem omnem longè superat, quod iureiurando tam sancto vtatur Deus, vt de voluntate suâ peccatoribus tam benignâ, hostes suos certos faciat & securos? *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, id est tam verè nolo*

9.

nolo mortem impij, quàm verè vivit Deus. Graue admodum <sup>vom incre-</sup> <sup>dibilem</sup> <sup>promiserat.</sup> juramentum. Eo autem quid opus erat? An aliàs fidem sibi facere non poterat? Sanè eam inuenturus fuisse non videtur apud homines, omnia, etiam Diuina, pro suo ingenio metientes. Quis enim hominum ita in misericordiam est implicatus, vt misereatur hostis sui, eiusque amicitiam vltro deposcat? Et isthæc tamen agere supremum Deum, hominisque amicitiam quodammodo ambire quis credat? Rursus; etiam si inter homines reconciliationem cum hoste quis appetat, tamen difficilem se præbet initio; rogari vult, amicos qui pro reo intercedant postulat adhiberi; denique condiciones inserit quibus componenda pax coalescat. At vero iniuriis infandis impeti Deum; nullo adhibito patrono hostem ei fieri supplicem, nullâque interpositâ morâ *in quâcumque die conuersus fuerit peccator*, de subito emolliri Deum, pacem coire illicò, & vno temporis momento, ex hoste in sincerissimam familiaritatem Numinis transcribi; cui inquam, id fieri posse, in mentem venisset, nisi id tam seriò, is cuius interest, affirmasset Deus? & verò, cui res tam inusitata foret credibilis, nisi juramento confirmata? Tanta profectò est, vt ne Deus quidem sibi fidem præstari voluerit, nisi juranti. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij.* Iam saltem mentem eriges peccator: jam demum magnâ cum fiduciâ accedes ad thronum gratiæ, neque de eâ tibi præstandâ desperabis: Deo credes, & quidem jurato.

10. Magna fateor sunt hæc fiduciæ faciendæ argumenta. Alias <sup>Abblandi-</sup> <sup>tur Deus</sup> <sup>peccatori</sup> <sup>vt impe-</sup> <sup>tranda gra-</sup> <sup>tia fiduciâ</sup> <sup>in eo exci-</sup> <sup>tes.</sup> tamen delicias, teneriora quædam sensa verbis his auguror contineri, quibus obdurato peccatoris animo Deus suauissimè abblanditur. Blanditas has vt exponam, componenda sunt verba quæ profert Deus, cum Israelitici populi querelis. Quænam illæ? audi. Miserrimum animæ suæ statum dum conspicerent sceleribus immerfi peccatores, de salute suâ desperantes dicebant,

7 10. *Iniquitates nostræ & peccata nostrâ super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus?* huic ergo interrogationi tamquam sibi maximè injuriæ, illicò occurrens Deus, *Dic ad eos*, inquit, *Viuo ego dicit Dominus Deus.* Quasi si diceret; vt quid inertes quæritis, *Quomodo viuere poterimus*, si ego adhuc viuo, Dominus vester & Deus vester? mortui si estis vos, viuo ego Deus vester qui creauit vos, & Dominus vester qui ex Egypti ser-

uitute eripui vos. Quòd si ergo putore criminum contabescitis, & vlceribus peccatorum toti diffluitis, *viuo ego dicit Dominus*, qui sanem vos. Si humana tantummodo remedia superessent, aut si cum offenso homine vobis esset negotium, desperata profusus esset res. Sed quantumcumque iniusto bello me impetieritis, tamen adhuc *viuo ego dicit Dominus Deus*, Deus quidem quem offendistis, sed Dominus qui vestrum miseretur. Attende Israël, attende peccator. An non aliquando misericordis cuiusdam Dei ad te delata est fama, *qui posuit in Egipto signa sua, prodigia sua in campo Taneos?* qui per deserta tesqua *deduxit velut ouem Joseph*; qui rebellantes & recalcitrantes quamtumuis peccatores, tanquam pia mater quasi in vlnis eremo totâ per annos quadraginta circumduxit? an nò audisti Numen esse quoddam, magnificum & immensum, cuius tamen *miserationes super omnia opera eius?* Deum inquam quemdam, de quo per antonomasiam dicebatur *Quia hic peccatores recipit?* Huius Dei fama apud te si percrebuit peccator, scito hunc ipsum Deum superesse, *Viuo ego dicit Dominus Deus*, viuo ego cuius misericordiâ hactenus orbis stetit; viuo ego qui creauit te; viuo ego qui tantopere te dilexi, vt tandem etiam mortuus sim pro te. Idem viuit adhuc Deus, eadem in me viuit misericordia, nihil ei quidquam est detractum. Quid ergo rogas *Quomodo viuere poterimus*, si ego viuo à quo est omnis vita? *Et quare, obsecro, moriemini domus Israël*, si is viuit, qui vt vitam tibi redderet, mortuus est pro te? Neque tamen cum me tam beneficum vides, magna à te exhibenda suspiceris, *Conuertimini tantummodò, conuertimini à viis vestris pessimis*, & res peracta est. *Conuertere ad me ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos ait Dominus exercituum.* Tu tantum redi præuaricator, pœnitentis vultum indue, & illico vultum inuenies te redamantis Dei,

*Felicitas  
nostra est  
contra san-  
ctum Deum  
peccasse.*

Admirabilem enim uerò Deum! nullo ingenio comprehendendam indolem! Deum, supremam inquam quæ cælo terræque imperat maiestatem, ab homine, imò ab hominum miserissimo, pudendum in morem despici & proculcari, & tamen ad eò naturâ suâ esse placabilem, vt gratiam non tantum præstet, sed & vltro eam offerat peccatori? Felices nos, quòd non aliquem nobis naturâ similem, aut Angelum impetierint nostra scelera, sed ipsum Deum! non enim nisi in ipsum solum cadere poterat  
tanta

*Psal. 77.  
v. 43.*

*Psal. 79.  
v. 2.*

*Psal. 144.  
v. 9.*

*Luc. 15.  
v. 2.*

*Zachar. 1.  
v. 3.*

II.

tanta injuria, & tanta ad ignoscendum facilitas: non poteramus profectò meliori sorte cuiquam esse injurij, neque felicius impudentes. Quid enim est nisi summæ arrogantia, tam sancti Domini jussa contemnere? quid, nisi summæ injuriæ, præ suis deliciis, voluntatem tanti Dei habere despiciatui? quid nisi intolerandæ insolentiæ & effrænis impudentiæ est, amicitiam summi Numinis habere pro nihilo, vt vilissimæ creaturæ fœdis amoribus impliceris? Immania sunt prorsus hæc, indigna homine agendi ratio, & nullis vniquam aut verbis satis exaggeranda, aut lachrymis eluenda. Interim in tam benignum Dominum incidimus, vt si non vnius injuriæ reus, sed omnium quotquot fuere mortaliū sceleribus implicatus, gratiam iis deprecaturus accurreris, eam sine vlllo dubio, sine exceptione vllâ, aut modo, sis ablaturus. Macste igitur animis peccator. Reus es; Fateor. Pro Conficientiæ tuæ tribunali mortis sententiam retulisti, neque ab hoc Judice ad alium datur appellatio. Adeamus ergo ad thronum gratiæ; pœnitentis habitum induamus, qui nos pro meritis condemnatos esse negare non possumus; procidamus miseri, & *plouemus ante Dominum qui fecit nos; & prout indolem Dei cognosco, gratiam inueniemus in auxilio opportuno.*

Psal. 94.  
v. 6.

## S. III.

10. *Dolorem qui à peccatore pœnitente requiritur, non esse meras lachrymas, aut corporis tristem affectionem.*

12. **I**ndolem Dei jam vidimus. Tam prompta est ad præstandam peccatori gratiam, vt eum vltro inuitet & ad se alliciat. *Conuertere ad me ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos ait Dominus exercituum.* Nunc porro dicendum est, quid ex suâ parte conferre reus debeat, & quid sit peccatorem ad Deum se conuertere; nihil enim præter hoc requirit Deus. Videamus ergo id quid sit. Satis quidem notum est, non aliud esse conuertere peccatorem, quàm per pœnitentiam commissi criminis ad Deum, à quo auersus fuerat, redire, sceleribusque suis indolere. Et sic vera peccatoris conuersio, non aliud est, quàm de commissis peccatis

*A pœnitente dolor peccatorum requiritur.*

Zach. 3.  
v. 3.